

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Indole & uirtute praestanti C.M.Philippus Melanchthon S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

paucos dies adferam: & de refutatione synodi uobiscum deliberabo. Reuerendissimo D. Episcopo Nauburgensi salutē opto. Bene & feliciter ualete. Die 29 Martij, Seruest.æ. 1547.

Guilielmo Reiffenstein Philippus
Melanchthon S. D.

Remitto tibi alterum ex numismatis aureis: id uidelicet, quod recens factum est. Quod si alterum propter uetustatem tibi magis placet, libet̄ illud restituā. Non enim mihi tanti est ullū numisma, ut pluris quā amicitiam tuam faciam: alterū si mihi reliqueris, erit apud me inter multa alia hoc quoque tuæ erga me beneuolentiæ pignus. Nuper tibi per Northusanum quendam misimus literas: si accepisti, intellexisti quæ causæ fuerint, cur tam serō fidem meam liberem, tibiq; tuam restituam. Mirificè cupiebā propter multas causas te in his nundinis uisere. Sed hic me quædā publica negocia obligant. D. Michaeli dicas meis uerbis multam salutem: quem quidem ego, si ad nundinas uenissem, nō dimisissē, nisi empto murrhino uase, quo genere supellectilis mirè delectatus sum aliquandiu. Sed ignosceas mihi iocanti. Vale.

Indole & uirtute præstanti C. M. Philippus Melanchthon S. D.

Charissime Christophore: Angeli in his ferijs

q præci-

precinunt nobis hymnū, ut Deo gloriam cum ipsis
tribuamus uero pectore, & uera uoce: quod sine
agnitione et doctrina fieri nō potest. Quare, ut tu
quoq; cum angelis idem carmen sones, discito do-
ctrinam cœlestem, quæ uerissimè & uerè testatur,
nos Deo curæ esse. Bene uale. Salutem opto dulcissi-
mis fratribus tuis.

Egregia indole & uirtute prædito Chri-
stophoro M. amico suo, Philippus
Melanchthon S. D.

Epistolam tuam non tantum libenter legi, quia
amicitiam nostram perpetuam esse uolo: sed etiam,
quia te in literis proficere animaduerto, quarum
studia nequaquaquā abijcitis. Misto autem tibi o-
rationem, in qua multarum uirtutum laudatio est:
quas intelligere iam discas, & amare, ut cogitatio-
ne earum te ad decus exuscites, ut mores tui et Deo
placeant, & sint patri et matri uoluptati. Breui, ut
spero, ad uos expaciabor. Bene & feliciter uale.
Die 13 Februarij.

Iusto Vualhausen Philippus Melach-
thon, S. D.

Non solum ex alumnorum literis, sed etiam ex
tuis, coniecturam facio de tua fide, & tua sedu-
litate. Video enim te operam dare, ut ipse docen-
do